

Dei, qui nolit ex sese in omnibus esse efficax. 2. Quòd secundùm Parei Dogma necesse sit Conscientias hominum perpetuò fluctuare & dubitare de gratiâ Dei & salute æternâ. Quia licet à Deo seriò invitentur, ignorant tamen & incerti sunt, an is etiam in cordibus ipsorum Fidem & Pœnitentiam operari velit. Nam Deus (secundùm Parei Dogma) ex se & suâ intentione non vult in omnibus, etiamsi studio discendi audiant Verbum, efficax esse, sed tantùm in aliquibus, de quibus tamen nemini constare possit.

ARTICULUS VIII.

I. Quòd (secundùm Calvinianos) prædestinati Fidem amittere, Gratiâ excidere & perire non possint, quantumvis perseveranter peccent.

Vnde Pareus istos Articulos corraserit, mihi non constat. Iren. pag 261. Status Controversiæ.
Nam Authorem eorum non annotat. Nec memini me unquam eos hisce verbis consignatos in nostrorum Scriptis legisse. Verùm, utut sit, carpit is potissimùm postrema verba positi à se Articuli. Quæ si ullibi ita reperiuntur, non certè eò respiciunt, quasi Calvinianis à nostris tribuatur, quòd ad Salutem ab æterno prædestinati, nihilominus salventur, etiamsi ad finem usque vitæ, atque adeò ad ultimum usque spiritum in impœnitentiâ perseverent, & sic ex hac vitâ sine omni resipiscentiâ decedant. Non enim existimo, cuiquam id nostrum unquam in mentem venisse. Et huius nomine excusati sunt apud nos Calviniani, quòd hoc non doceant.

Verùm, nihilominus manet gravis adhuc inter nos & Calvinianos Controversia. Quia enim hi contendunt, Deum ab æterno fecisse absolutum, præcisum, strictum, fixum, in motum, & in omnem æternitatem inflexibile atque immutabile Decretum,
Non tum,